



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Quæst. VI. Modus offerendi, & accipiendi Eucharistiam; Antecedentia &  
adjuncta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



Observare etiam opus est, Autorem potuisse usurpare verbum *Offerre*, pro *Administare*; sed, si res ita se haberet, cur exigit *Reg. X.* eum, qui offert, jejunum esse; quandoquidem pransi Communionem dare possunt, & ea sepius datur aegrotis, non solum post Prandium, sed etiam post Cœnam? Cur tot collegisset *Quæst. III.* Textus, qui loquuntur de Oblatione Deo facta? Regula loquentes de Consecratione Eucharistiæ, de Elevatione Hostiæ, de Cessatione Missæ die Parasceves; nonne hanc Oblationem respiciunt?

Primum exemplorum promissorum occurrit in *Reg. 1.* hujus *Quæst.* antè Observationem hanc expositâ; nam Autor videtur applicavisse Sacrificio Canonem, qui loquitur de Sacramento.

Aliud extat in *Reg. XI.* quæ malum Ministrum respicit, qui semper validè offert, non obstante pravitate suâ: pravus autem, qui accipit Eucharistiâ, eam semper accipit sine fructu, quem in bonis operatur.

Quoad *Reg. XII.* ea aliundè peccat; nam dicendo, Hæreticos non debere accipere Sacramentum, sub Titulo, *Quis offerre & accipere Sacramentum debeat*, insinuat, Hæreticos debere offerre Sacrificium.

### QUÆSTIO III.

*Regula XII.* quæ est *Prima* hujus *Quæst.* nimium generalis est; fert enim, omnes, generaliter loquendo, offerre, & accipere debere: quod falsum est erga eos, qui non sunt Sacerdotes, aut non sunt baptizati. Inter *Novem* Exceptiones; quædam non habent locum in iis, qui offerunt; nempe, ut non sint Comædi; ut abstinerint ab usu Matrimonii die præcedente; ut non habeant impuritatem corporis, cui sexus est obnoxius. Si, per *Interdictum*, intelligatur suspensio, cui Laici non subjeant; pars Exceptionis *I.* quæ loquitur de *Interdictis*, Communicantium vulgo non convenit, sed peculiaris est Sacerdotibus, qui à Celebratione Missæ suspensi esse possunt.

### QUÆST. IV. Quid, & Quantum offerendum, & sumendum.

Novem *REGULÆ* hujus *Quæstionis*, quamvis extensæ ad Communionem, non convenirent ei, qui offert, qui tenetur offerre panem & vinum aquâ mixtum; nihil aliud offerre; non offerre panem fermentatum; non offerre quas; sive separatas, sive mixtas cum vino; non offerre lac pro vino, nec panem vino madidum; non offerre panem sine vino & aquâ; offerre unicam Hostiam pro se, pro cæteris autem totidem, quot Plebi necessaria sunt. Hæ *Regulæ* incipiunt à *Reg. XIV.* & clauduntur per *XXI.*

### QUÆST. V. Expositio EUCHARISTIÆ & verborum ejus.

*Regula XXII.* & *REG. XXV.* & *XXVI.* sibi mutuam lucem afferunt, & docent, Corpus JESU CHRISTI non comedi carnaliter, prout est in seipso, sed spiritualiter, prout est sub Speciebus, quæ eum non continent sub propriâ formâ. Alia est manducatio spiritualis; ea nempe, quæ fit per fidem junctam desiderio communicandi. Vide Textus ab Autore laudatos, *Dist. II. de Consecr.* ubi plures alii reperiuntur, qui res easdem docent.

*Reg. XXIII.* exponit *XXIV.* quod enim dicit, de vino aquâ diluto, illud transubstantiari in Sanguinem JESU CHRISTI, docet, panem transubstantiari in Corpus ejus. Itaque, post Consecrationem, Substantiâ panis non offertur, sed ejus Species, ut dicitur in *REG. XXIV.*

### QUÆST. VI. Modus offerendi, & accipiendi EUCHARISTIAM; Antecedentiâ, & Adjuncta.

Hic Sermo fit de de Dispositionibus ad offerendum & accipiendum Eucharistiâ; quarum aliæ peculiare sunt Communioni; purâ continentia conjugalis; quæ conjugatis non Sacerdotibus convenit; aliæ, Sacramento & Sacrificio communes sunt: nempe, probatio congrua, remissio contumeliarum, puritas Corporis & Cordis.

Quædam *Regulæ* aliud respiciunt, quàm has dispositiones: nempe, Adorationem Hostiæ in ejus Elevatione, quod pertinet ad Oblationem Eucharistiæ Deo, non verò ad Administrationem ipsius Communicantibus; item qualitatem Vaporum, in quibus Eucharistiâ offerre oportet; Venerationem, quæ illi debetur, cum ad ægros deferretur.

### QUÆST. VII. Quando, & quotiès offerendum, & sumendum sit.

*Reg. XXXVI.* & *XLI.* dicunt, Ter in unòquoque anno communicandum esse, in Paschate, Pentecoste, & in Natali Domini. *Reg. XXXVIII.* *XXXIX.* *XL.* approbant Communionem Die Cœnæ Domini, Diebus Dominicis, & Quotidianam. *Reg. XLII.* Sacerdoti præcipit, ut communicet totiès, quotiès Missam celebrat. *Reg. XXXVII.* verat, Missam dici duabus diebus Pascha præcedentibus. Hæ duæ *Regulæ* ostendunt, Autorem loqui de Oblatione Eucharistiæ, quæ fit Deo, & non simpliciter de præsentatione, quæ fit Communicantibus. Quod dicit de Missâ non celebrandâ Sabato Sancto, non est in usu.

### QUÆST. VIII. Consecraria Eucharistiæ.

Hic loquitur *1.* de reliquiis Specierum consecratarum, quæ consumendæ sunt à Ministris, qui aliquandiu à cibo abstinere debent post consumptionem, ne sacra misceatur esca, cum alimentis profanis, *REGULIS XLIII.* & *XLVI.* Legendum est, in hac *Fejnio* pro jurejurando, *Dist. XXIII. de Consecr. Can. 1.*

*2.* De Oratione, quæ sequitur Oblationem, & de pæte, quæ danda est post hanc. *Reg. XLIV.* *XLV.* ostendunt, Autorem loqui de Oblatione Deo factâ. *3.* De pœnâ ejus, qui Sanguinem effundit, & illius, qui Eucharistiâ præ ebrietate vomit, *Reg. XLVII.* *XLVIII.* & de pœnâ eorum, qui non communicant *Reg. LXI.* *4.* de ejus effectibus, qui sunt, operari remissionem peccatorum in iis, qui aliquot omiserunt in Confessione, aut confiteri non potuerunt, animam Deo conglutinare; non verò CHRISTUM in Corpus convertere, quâ in re discrepat ab aliis cibis, quæ convertuntur in substantiam Corporis; benedicere Deo; evahere in Cælum *Reg. XLIX.* *LIII.* *LIV.* *LV.*

*5.* De ejus prerogativis; esse Commemorationem Passionis Dominicæ & non iterationem ipsius; significare Immolationem Corporis & Sanguinis CHRISTI, & sub singulis partium suarum, CHRISTUM totum continere, *Reg. L.* *LI.* *LII.*

En omnes *Regulæ* hujus *Quæstionis*, quæ ordinem hunc accipere debuissent.

### DE BAPTISMO.

*Tertia* & postrema *Pars* hujus *Capitis* respicit Baptismum; cujus Argumentum dividitur in *Quæstiones IX.* videlicet *1.* Baptismus in genere; Substantia, necessitas, atque effectus ejus. *2.* II, quibus ille administrandus est; *3.* Quis eum conferre debeat; *4.* Ubi. *5.* Quando. *6.* Antecedentiâ. *7.* Modus conferendi & Adjuncta. *8.* Consecraria. *9.* Figura, quæ magis ad illum accessit. Ordo & consilium hoc bona sunt: secus est interdum de executione.